

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ nonâ mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. LIX.

M. DIONISIO-CLAUDIO DOULCET,
Doctore Medico, Præside.

Utrùm ventriculus, ut sæpiùs, chronicorum officina, acutorum fomes?

I.


ITAM constituit motus, hujus norma sanitatem, quantitas mutata morbum; & mors nil nisi motûs cessatio. Motum in corpore inerti producunt sola irritantia. Cor præsentiâ sanguinis contrahitur, diaphragma in cadaveribus recenter mactatorum, à lævissimâ irritatione convellitur. Pendet à nervis irritabilitas. (*a*) Constat experientiâ multiplici. Undè pars ea maximè irritabilis quæ pluribus nervis instructa est. Actio irritantium in partes, harum contractionem

(*a*) Vide Thesim. an ut sensibilitas sic irritabilitas à nervis. Autore M. de Villars, anno 1757.

producit. Hinc in partibus irritantibus actu expositis minuitur in omnem sensum vasorum diameter. Tandem consentiunt partes quibus prospiciunt iidem nervi aut solummodò nervi communicantes inter se. His positis; ex cognitâ ventriculi structurâ plurimùm nervosâ, ex habitâ ratione sitûs & muneris ejus, quæ duo irritantibus obnoxium eum multùm faciunt, ex descriptis ejus nervis, quorum ope simpathicus est cum cunctis visceribus, nec non partibus externis, hæc sequuntur. 1°. Quòd ventriculus irritetur tùm sæpè, cùm fortiter: 2°. quod eretismum quo afficitur in plurimas partes diffundat: facit hoc ultimum sanguini difficultatem ad circulandum in extremis, plethoram in truncis, cordi resistentiam ad se se vacuandum. Hinc cor pulsat & frequentiùs & validiùs; subvertitur æquilibrium, mutatur quantitas motûs, morbique prodeunt. Is modus acutis; alius chronicis. Hi quidem etiam à ventriculo tanquàm officinâ, non verò fomite. Horum materies in ventriculo præparata, per chylum in sanguinem defertur; varias dein, variis in partibus deposita, miserias procreat. Suos tandem habet morbos ventriculus. Huic sui sunt affectus & malis dolet propriis. Jure igitur Hoffmannus, (b) *plurimorum itaque*, ait, morborum domicilium in ventriculo collocandum est.

(b) Tome I. pag. 179. § 13.

I I.

SEDEM obtinet in hypocondrio sinistro nec non epigastrio. Medius est inter hepar incumbens & lienem pressam. Huic dat arterias truncus cæliacus. Magnam partem venarum excipit vena portarum; in ramum splenicum terminantur aliæ, ope vasorum brevium. Nervi prodeunt ab intercostali & octavâ conjugatione. Hæc ventriculo sacra ferè tota est. Substantiam constituunt tunicæ quatuor. Membranosa prima, muscularis altera; tertiam nervosam nuncupant plurimi; aponevroticam dicit Winslowus, (a) cellularem, vult Heisterus; (b) quartam villosam vocant omnes. Hæc parte concavâ amplior, rugas facit, parte convexâ glandulis ornatur multis, variis, (c) circà pilorum & minorem curvaturam numerosioribus. (d) Sic ferè natura ventriculum aptavit. In hoc digeruntur cibi potusque. Ad functionem adimplendam tria concurrunt; trituratio levis, fermentatio incohata, partium dissolutio. Tres numeras operationes. Harum instrumenta sunt nativus loci calor, motus qui solet esse placidus, menstrua tandem. Hæc copiosa scaturiunt ex diverso fonte. Omnibus saponacea est natura. Sunt autem, mucus, saliva, succus gastricus. Quid tum? Ubi depravatur digestio, peccant solida vel fluida, aut utraque simùl. Solida seu rigent astricta, seu laxantur atona. In fluidis arguitur, modò quantitas, modò qualitas. (e) Solida si fuerint sine tono, cibi non mutantur, sed trahente pondere, labuntur in duodenum indigesti. Si sit astrictio; varius sequitur effectus: in magnâ, antè quàm sint subacta versùs intestina propelluntur alimenta; in ma-

(a) Tom. IV. pag. 27.
(b) Anat. pag. 109.
(c) Inst. Med. pag. 52. §. 77.
(d) Winslow Tom. IV. pag. 27.
(e) Vide Tract. patholo. celeber. Astruc, pag. 164. & Sequent.

ximâ, clauso ventriculo, diutiùs retinentur in loco calido & humido. Facit hæc conditio duplex, ut facilè fermentescant & pro suâ naturâ nunc acescant, nunc putrescant. Fluida copiosiora solvunt, parciora malè penetrant, vitiata veneno quo inquinantur ipsam inficiunt chimaceam materiem. Hinc chylus lentus & viscosus, aquosus & solutus, crudus, crassus, impurus. Undè fibra crassa & rigida, debilis & laxa, humores spissi, soluti, acres, impuri. Eò si processerit prava ciborum mutatio, ut pars eorum in ventriculo semi-cocta maneat, tum fermentescit, & vertitur in substantiam nostris humoribus, viribus digestivis, non assimilandam. Hæc materies *saburra* nuncupatur. Triplicis generis distinguitur. Ab ingestorum indole & digerentis ventriculi calore maximè pendet ejus natura. Undè vel est glutinosa solummodò, vel accida, aut alcalina. Hinc flatulentia, nauseæ, ructus, acidi, nidorosi, famis jactura, pituitæ vomitus, ventriculum cum œsophago dolor urens soda dictus, oris amarities, sitis, ciborum horror, acidorum appetitus. Hæc in ventriculo priùs. At funestior mox agetur tragedia. En enim stagnantis in stomacho morbificæ materiæ moleculæ per chylum deferentur ad sanguinem. Namque chylus, quam habet, sanguini naturam communicat. (*f*) Nihil obstat quòd nullum unquam nec acidi, nec alcali, manifestum indicium dederit extractus è corpore vivente sanguis. Lac assumptorum saporem & odorem diu retinet. Acrioribus pro victu usurpantibus acres sunt humores. Dum putridas carnes devorare jussit malè sana fames, miseros putridi morbi corripuere. Sudor pluribus manat acidus. Rapacium volucrum, ferarumque carnes citissimè putrescunt. Qualis igitur fuerit chylus, talis erit sanguis. Hinc est in pluribus lentus & spissus, in aliis solutus & aquosus, in plurimis impurus. Prior mirè turbat magnum secretionum opus; hæret enim impactus, nec nisi vix movetur per vasa glandularum tenuissima, angulosa, multis modis intorta, anfractuosa, contorta, longissima. Undè obstructionum omne genus. Ab altero debilitas, pulsus parvus, abolitæ functiones, sudor continuus frigidus, hæmorragiæ, prostratæ & mox afflictæ omnino vitæ vires. Sanguis impurus variarum pro variâ suâ naturâ miseriarium fomes. Si sit acris & solutus, vasa corrodit & guttatim diffluens sub epidermide putrescit; cutemque fœdat maculis aspectu deformibus. Infantibus acescente lacte viventibus emollita sæpè distorquentur ossa. Hæc emollire acidorum est. (*g*) Iidem vitio creditur referendus acutissimos dolores excitans, articulos infestans, hosque distorquens morbus, podagra dictus. Sed quid plura? Sydenhamus acutos & chronicos morbos ratione principii & originis sub eo respectu differre putabat, quod ab aere acuti, ab humorum indigestione chronici pendeant. Humorum vero indigestionem, contingere ait, ab errore in cibo & potu. (*h*) & quidem sint plures humorum digestiones. Qualis prior, tales quæ sequentur, (*i*) Principium enim omne continet,

(*f*) Vide Vanswieten. Tom. I. pag. 76. 79. 89.

(*g*) Rem elucidat observatio M. Herissant habita in Acad. R. P.

(*h*) Tract. de podagrâ. Pag. 315. Nec non in differt. Epist. ad Guielm. Cole.

(*i*) Vide quod de origine chronicorum scripsit Vanswieten, tomo 3°. pag. 332, 333 & 343.

I I I.

PRÆ cæteris partibus irritantibus obnoxius est ventriculus. Nullibi concurrunt res tam diversæ naturæ & indolis. Præter alimenta repugnantis quan-

quàm naturæ ſimùl ingeſta, confluunt mucus, ſaliva, ſuccus gaſtricus. Si fuerit impedita quælibet ſecretio potiſſimùm ea quæ fit per poros cutis, aut pravâ methodo tractatus fuerit, diſſitas & remotas partes occupans morbus, ut ſæpiùs contingit in prodagrâ, (*a*) fit humorum metaſtaſis verſùs ventriculum facillimè. In causâ ſunt vaſa numeroſa, tenuia, facilè cedantia, per os internum, æſophagum, cavitatem internam ventriculi reptantia, continuumque rorem ſudantia. Obſervavit Sydenhamus per tres annos obtinuiſſe talem morborum epidemicorum indolem ut febrilis materia versùs hæc loca deponeretur. (*b*) Huc totum corpus humores ſuos derivare poſſe, ait Vanſwieten. (*c*) Dixerat Hyppocrates, ventriculum maris habere facultatem, dare ſcilicet omnibus, ab omnibus accipere. (*d*) His addendum quod ſævientibus epidemicis morbis, contagium aëre natans, ſalivæ & alimentis mixtum continuò & immediatè deferatur ad ventriculum. Inter ſymptomata quibus vexabantur peſte tentati, nullum frequentiùs & univerſaliùs occurrebat quàm nauſea & vomitus. (*e*) Facillima igitur intrà ventriculum congeſtio ſaburræ. Verùm difficilis hujus expulſio. Hanc morantur rugæ in membranâ villosâ conſpicuæ. Patet inde quàm plurimis malis affici poſſit ventriculus. Dolore gravativo, pungente, ſæpè laborat; inflammatione corripitur ejuſque ſequelis dolet: aphtis oneratur: (*f*) convulſivus fit: in ipſo reptant vermes: hypocondriacam affectionem ipſi propriam eſſe nos monet Hoffmannus. (*g*) Morbi quibus afficitur multas ægris anxietates, magnas faceſcunt medenti difficultates. In promptu cauſa eſt. Semel præſens ſaburra cæteras inficit digeſtiones. Fermentum dixeris quod in ſuam naturam mutat quidquid ſibi occurrit; venenum quod remediorum vires hebetat. Tandem partibus multis condolet. Vomitus nephretidi, vomitus calculo poris biliariis impacto ſupervenit. Quidquid patitur aut delirat uterus; ſentit & plectitur illud ſtomachus. At frequentior eſt aliis malorum cauſa quàm ipſi ſunt aliæ partes; ſenſibiles nempè minùs, minus irritantibus, morbificæque cauſæ, nec niſi ferè hujus medio, ſunt obnoxiæ.

(*a*) Vanſwieten. Tom. 3. pag. 160. & 276.
(*b*) Sydenh. ſect. 4. cap. 7. pag. 258.
(*c*) Tom. 2. pag. 192. & 434.
(*d*) Hoffmanno referente. *Suppl. pars 1a. pag.* 464.
(*e*) Vide tractatum de peſte Autore M. Senac, tractatûs initio.
(*f*) Vide Ketelaer de aphtis.
(*g*) *Suppl. pars 2a. pag.* 443.

I V.

NERVI illi ambo quorum unum ſympaticum maximum, majorem alterum nominavit Winſlows, ſtabiliunt foventque ventriculi cum cæteris partibus conſenſum. Horum nervorum ramos & propagines ſequi, foret quodammodo morbos à ventriculo ſympathicè productos indigitare. Mirabilis potiſſimùm & intimus ventriculi cum capite conſenſus. Difficiles & tardas ciborum coctiones comitatur dolor capitis, harumque ſæpè indicium eſt. Hemicraniæ per vices recidivæ pro cauſâ ventticuli vitium habent. Plurimis in caſibus atroces capitis dolores eductâ per vomitum ſaburrâ curantur. Cauſam vertiginis, epilepſiæ, motuum convulſivorum, maniæ quoque,

frequentissimè latitare in ventriculo & per consensum hos capitis & nervorum morbos induci scripsit celebris autor. (a) A deglucitâ aciculâ, ventriculum pungente, ob motus convulsivos, aspectum horribilem & furores dæmoniaca habebatur mulier. (b) Sordes circà præcordia hærentes, sivè ex indigestili materiâ, sivè à contagio & humoribus morbosis huc congestis fluxerint, turbare omnes actiones cerebri, deliria, furores & alia pessima mala producere testatur Vanswieten. * Monuerat Galenus (c) fieri carum, epilepsiam **, comata, Catalepses, *** deliria, melancholiam quibusdam ob stomachum imbecillum, consentiente principio quod in cerebro & nervis est. Huc pertinet quod ait Helmontius. (d) Sagittatorem deliri & amentiarum habitare in præcordiis. Hinc mala illa curantur victu tenui, diluente, potu sedante, emetico, purgantibus anodynis. (e) patet indè cur similibus in casibus cerevisiam tenuem pro potu præscriberet Sydenhamus. (f) Solis diluentibus ingruentes morbos sese pluriès avertisse, atque ab his immunes servasse plures è suâ domo nos monet. Intimum etiam fovet consensum ventriculus cum faucibus, necnon thorace, atque hic contentis partibus. Nervus recurrens nobis aperit modum & rationem quibus stagnans in ventriculo saburra, tusses provocet vehementes, chronicas, convulsivas, clangosas infantum (g), suffocationem hystericam, anginam, &c. (h) Infrà nervum recurrentem in thorace par octavum, aortæ, pulmonibus, plexui cardiaco, pericardio nervos & sensum suppeditat. Hinc educendæ saburræ necessitatem sæpius indicat pulsus intermittens. Venena, sordes in præcordiis syncopen provocant: quandoque in acutis ut summa sic subitanea debilitas artus occupat. Cedunt autem hæc, & intelligitur cur cedant propinato emetico. (i) Dolores pleuritici vagi, pectoris oppressiones, anxietates, non rarò inscios perterrunt inflammationis metu perculsos. Hæc ubi adsunt sine signis inflammationis, horum causa in ventriculo quærenda. (k) An ab eadem causâ non nunquam morbi pectoris inflammatorii? Hos sæpè subitò suscitat haustus imprudenter aquæ Gelidæ cyathus corpore calente. Credendum resorbti sudoris moleculas, sanguini mixtas, in ultimis pulmonum aut plevræ vasis hæsisse? Aut potiùs has in partes, erethismum quo afficiebatur, medio nervorum, diffundebat ventriculus? Verisimilius quidem. Aqua glacialis ventriculum immediatè, nullatenùs recensitas partes offendebat. Quid plura? Inflammantur hæ partes ob venenum stomachum fortiter irritans & rodens. Quid tam discrepat à veneno acris & irritans saburra? Aut potiùs utriusque idem erit effectus habitâ ratione eorum acrimoniæ. Non ideò mens ea nostra est ut in omni hoc morborum genere citò semperque propinetur emeticum. Suæ sunt arti regulæ. Suos habet, nec desunt, sapientes. Ubi requiratur doceant. Res indicat propinandum tunc esse, quando pulmo gravatur pituitâ lentâ, æstate fortasse nunquam, hieme quandoque, brumali tempore non infrequenter. (l) Nec hoc solo modò his in morbis suscitandis agit ventriculus. Dixit Hippocrates inflam-

* Tomo 2°. pags. 204. 296, 297 & 299. Idem autor. Tomo 3°. pag. 386. demonstrat causam apoplexiam excitantem quandòque hærere in ventriculo. Ejusdem libri paginâ 432 ait *sordes circà ventriculum hærentes habere miram potestatem turbandarum actionum encephali.*

** Cicutæ aquaticæ radices devoraverant pueri, epilepsiâ mox corripiebantur, iique soli evadebant qui venenum evomuerant. Wepfer. cicut. aquat. Hist. pag. 5.

*** Wansvieten, tomo 3°. pag. 316. Refert quòd mulier quædam catalepsi subitò correpta, cum evomuisset coràm ipso binos vermes teretes vivos, mox omninò liberata fuerit.

(a) Hoff. Suppl. pars 1a. pag. 461. §. 66.
(b) Hildanus, lib. 1. observ. 34.
(c) De symptom. lib. 1. tom. 7. pag. 60.
(d) De Febr. cap. 11. §. 13. pag. 771.
(e) Boher. Aph. 702.
(f) Sect. V. cap. 20. pag. 289.
(g) Hoff. suppl. pars 1a. pag. 461.
(h) *Idem* suppl. pars 2a. pag. 441.
(i) Sydenh. sect. 1. cap. 30. pag. 57.
(k) Hoff. suppl. pars 1a. pag. 461. Wansvieten, tom. 2. pag. 184.
(l) Vide Thesim anno 1738 propugnatam à M. Bouvard an rarò peripneumoniæ emeticum.

mationem in pulmone fieri maximè à vinolentiâ & piſcium capitonum & anguillarum ingluvie. (*m*) Undè nam? Niſi quia hæc ſcatent oleo viribus digeſtivis non ſuperabili, quod hæret in ultimis pulmonum vaſis. Chylus igitur craſſus & viſcoſus, necnon ſaburra ſanguini dum miſcentur hos morbos inducere ſæpiſſimè poſſunt. Wuilliſius refert, in cadavere plurimorum qui laboraverant aſtmathe, pulmones integros fuiſſe inventos, mali verò cauſam in ventriculo ſtagnantem deprehenſam. (*n*) Jure igitur Riverius (*o*) & Hoffmannus morbum hunc emetico curari affirmant. Qui tanta valet in ſuſcitandis pectoris affectibus morbificis, non minus in abdominalia viſcera jus habet ventriculus. Stomacho referri debent diarrhææ, (*p*) ſeu morbifica materies ex cavo viſceris lapſa, inteſtinalem fiſtulam immediatè afficiat, ſivè in ipsâ ſympaticè obtineat irritatio. Febri epidemicæ ſupervenientem diarrhæam, aliàs ſæpè lethalem, emetico curabat Sydenhamus. (*q*) Nec rejiciebatur materies multùm ſpectabilis quantitate aut pravis qualitatibus. Argumentum quàm ſit irritabilis ventriculus & quid in morbis producendis valeat. *Quæ prodeunt non copiâ ſunt æſtimanda.* (*r*) Quis dubitet carpere ventriculum, dum patimur colicos, acutiſſimos dolores; aëre tunc ob debilitatam coctionem ex alimentis erumpente & circùm inteſtinorum clauſtra fremente. (*ſ*) Suadet Huxamius ut in morbo colico damnoniorum propinetur ad quartam uſque vicem emeticum. Pro ratione ſubjungit maximâ copiâ tenaciſſimæ pituitæ obrui ſtomachum, magnamque vim corruptæ bilis eum opprimere. (*t*) Tandem inflammatione corripiuntur inteſtina ſeu quia ingeſta ſunt acria alimenta, ſeu quoniam aſſumpti cibi vitio digeſtionis in materiam valdè acrem mutati ſunt. (*u*) Sic lac dum acceſſit intrà debilem puerorum ventriculum, plurimi ileo & volvulo pereunt. Malum tandem eſt morborum comes indivulſus; huic notiſſimum nomen febris. Varii generis diſtinguitur. Febris enim eſt acuta alia, alia lenta, continua vel intermittens. Qualis ſit, eam à ſordibus circà ventriculum ſtagnanttibus oriri multa teſtantur. Anxietatibus, appetitûs proſtatu, nauſeis incipit, ſitis eam comitatur; curatur diluentibus, ſedantibus, purgantibus, emeticis. Unus eſt optimorum autorum circà ejus originem conſenſus. Qualiſcumquæ ſit eam ab hoc miſerimo fonte repetit Hoffmannus. (*x*) De ardenti febre Galenus, (*y*) de intermittente Vanſwieten (*z*) ſcripſère, quòd prior ſoleat incendi à bile intrà ventriculum, imprimis circà ejus orificium ſuperius ſtagnante, altera tunc epidemicè graſſetur ubi bilis acrior & tenacior circà præcordia collecta hæret. Dum intermittens febris ſæviret, multi dato citiùs cortice peruviano tollebantur è medio, deinceps propinato emetico pauciſſimi morbo occumbebant. (*aa*) An corticis hujus, his in malis ſpecifici remedii, topica foret actio? Hoſque morbos tolleret ideò quod orgaſmum ventriculi ſedaret? Et quidem conducit illud medicamentum in affectibus hyſtericis, potiſſimùm ubi validiores ſunt Spaſmodici motus, exquiſitiorque irritabilitas. (*bb*) Data imprudenter po-

(*m*) De internis affect. Chart. tom. 7. cap. 7. pag. 642.

(*n*) Will. de morb. convulſ. cap. 12. pag. 140.

(*o*) Praxeos med. lib. 7. cap. 1 de aſthm.

(*p*) Vanſwieten. Tom. 2. pag. 353.

(*q*) Sydenh. ſect. 1a. cap. 4. pag. 63.

(*r*) Hypp. Aphor. ſect. 1a. Aphor. 23. Vide notam Cl. Lory, pag. 30.

(*ſ*) Vide pneumatopath. partem. 2am.

(*t*) Hux. de morb. col. Damn. pag. 28.

(*u*) Hoff. ſuppl. pars 1a. pag. 463. §. 57.

(*x*) Hoff. ſuppl. pars 1a. pag. 440.

(*y*) Epidem, lib. 1°.

(*z*) Vanſwi. tom. 2. pag. 513.

(*aa*) *Idem*, eodem loco.

(*bb*) Sydenh. diſſert. epiſt. pag. 519.

tio purgans febrem sopitam suscitat. Hæc de intermittentibus. Quis revocet in dubium putridas, malignasque febres ducere originem à sordibus intrà ventriculum congestis. Docet praxis quotidiana quod hæ vel illæ curentur sæpissimè si morbi initio propinatum fuerit emeticum. Hoc si negligatur auxilium aut seriùs adhibeatur raro malignæ; non nisi post vigesimum primum, aut vigesimum octavum diem putridæ curantur; aut in malignas pessimæ naturæ mutantur. Nihil nisi febris maligna pessimæ indolis, morbus atrocissimus, pestis. Ut & aliæ febres hæc sese manifestat; symptomataque eadem, sed sæviora magis, eam comitantur. At post mortem in ventriculo præ cæteris visceribus reperiuntur escharæ nigræ gangrenosæ. (*cc*) Vanswieten ait, quòd sibi videatur ex observatis Sydenhami pestem agere radices in ventriculo. Num hæc confirmant omne febrium genus procedere à ventriculo? Sed ita omni morbo jungitur febris ut eam morbum essentialem, cæteros hujus symptomata appellare absurdum non foret. Sydenhamus agens de morbis quos vocat intercurrentes; tales sunt peripneumonia, plueritis, augina; fatetur se nullatenùs dubitare quin febris habenda sit pro morbo primario, reliquosque affectus à quibus nomen morbi mutantur, febris esse symptomata testatur. (*dd*) Dum igitur febrem suscitat ventriculus (& patet quàm facilè possit hanc provocare eretismum creando in partes maximè vasculosas) febrem, inquam, excitando omnes morbos acutos procreare posse videtur. Febris ephemera post crapulam in corpore sano benigna, accedentibus conditionibus morbum induxit non curabilem. Sed febres illas omisimus quas comitantur aut sequuntur exanthemata. Præterquàm quod hos morbos à ventriculo repetunt melioris notæ autores, (*ee*) in his febribus exanthemata eò minus abundant, aut curantur feliciciùs quòd venenata materies morbi initio, vomitu rejecta fuit copiosiùs. Huc pertinet variolarum inoculatio. Sed omnes, paucis exceptis, acuti morbi nominandi forent, ut qui procedunt à ventriculo ii referri possent.

(*cc*) Helmont. Tract. de Tumulo pestis. pag. 182.

(*dd*) Sydenh. Sect. 6a. cap. 1°. pag. 159.

(*ee*) Hoff. pars 2a. pag. 443. Vanswiet. tom. 2. pag. 361. Quid evidentiùs probat actionem ventriculi in his morbis suscitandis quàm exemplum mytuli venenati? vix assumpto illo totam cutem infestant exanthemata post assumptum emeticum evanescentia.

V.



NON objiciat aliquis quidquid de ventriculo attulimus, de intestinis; potissimùm de duodeno, posse affirmari. Militant pro nostrâ Thesi, ventriculi capacitas; exquisita sensibilitas, situs & munus. Nec ea nostra mens est sola emetica, neglectis aliis artis auxiliis, conducere. Hæc in pluribus morbis; in quibusdam etiam in quibus primo aspectu noxia videntur, prodesse, probare conati sumus. Si cui pro figmento foret stagnantem intrà ventriculum saburram inflammationem in visceribus procreare posse, quid faciant venena corrosiva contenta quamvis in ventriculo sedulus animadvertat. Si magnâ sunt exhibitâ dosi, citò enecant, cuncta viscera sphacelata reperiuntur in cadaveribus: & maximum argumentum nullam aliam partem præter ventriculum offendisse venenum, hoc est. Gangrænosa viscera, excepto ventriculo, devo-

rant, fine, noxâ animalia quibus porriguntur. Medici tandem omnes practici noftram thefim confirmant dum in chronicis diætæ non minùs quàm medicamentis confidunt, in peracutis autem non morantur fed juxtà monitum Hippocratis, (a) purgant eodem die, feliciffimo eventu. Sit itaque noftra conclufio.

(a) Aph. Sect. 4a. Aphor. x.

Ergò ventriculus, ut fæpiùs, chronicorum officina, acutorum fomes?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Natalis - Nicolaus - Mallet.

M. Francifcus-Ludovicus-Thomas d'Onglée.

M. Guillelmus Fumée.

M. Marinus Jacobus-Clarus Robert.

M. Maximilianus-Jofephus Leys.

M. Guillelmus Berthold.

M. Petrus Lalouette.

M. Petrus-Jofephus Macquer, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Cenfor Regius.

M. Jofephus-Maria Francifcus de la Sone, Reginæ Medicus Primarius. Cenfor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

Proponebat Parifiis PETRUS-JONNES-CLAUDIUS MAUDUYT DE LA VARENNE, Parifinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, Thefeos Author. A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Univerfitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.